

MELISSA

EUROPAEA FOLIA SEXIES IN ANNO LATINE EDITA

Avenue de Tervueren, 76, Tervurenlaan - B-1040 BRUXELLIS. Tel. (02) 735 04 08. Telecop. (02) 735 51 32

Editor responsalis: Gaius LICOPPE - Compositrix: Francisca DERAEDT

Bureau de dépôt: 1040 Bruxelles 4 - Afgifte kantoor: 1040 Brussel 4

HODIERNA MELISSA EST ...



... civilis : agitur de rei publicae tribulationibus.

☞ p. 2

... archaeologica : quamquam iam est tertia pars symbolae, qua agitur de nave Sancti Didaci, nondum apparet ille thesaurus, qui nobis promissus est. Expectanda erit quarta (eademque ultima) symbola !

☞ p. 3

... pharmaceutica : non semper facile est invenire libros simul Latinos simul iucundos. Tamen ex asperis lectionibus etiam fieri potest ut excerpamus paginas attractivas.

☞ p. 7

... litteraria : quis non novit Plantinum Moretum ? Quis autem novit eius nepotes, qui fuerunt scriptores Latini ?

☞ p. 10

... etymologica : etymologia fuit praecipua quaestio huius aestatis.

☞ p. 12

... septentrionalis : in universitatibus Fennicis alumnis textus Latine scribendi sunt de quibuslibet argumentis.

☞ p. 14

RES PUBLICA QUALIS EVASERIT

Superiore Melissae fasciculo in lectorum memoriam cladem revocavimus a magnis Europae democratiis ineunte altero bello mundano acceptam. Praeterea respiciendum est Americae Civitatum Unitarum democratiam in fine huius belli victoriam consecutam esse sed non sine tyranni Stalini auxilio, qui neque minora neque pauciora scelera fecerat quam victus Hitlerus.

Ergo, contra politicorum nostrorum sententiam, democratia per se ipsam non est tutamen contra bellum. Praeterea nostris temporibus saepissime audimus vel legimus democratiam esse in magno discrimine. Quae cum ita sint, iunioribus certe utilius est examinare quid re vera sit democratia et quid hodiernis temporibus hoc vocabulo obtegatur.

Quis verbi gratia non recordatur nonnulla tyrannica regimina communistica in Europa se ipsa vocavisse "democratias populares". Ne usque ad Graecos redeamus, legamus id quod XVII saeculo scripsit Varenus Belga Foederatus (hodie esset Nederlandus) in prooemio operis sui c.t. "Descriptio Regni Iaponiae". Scribit ille: "... non ingratum iuvenibus fore putavi, si quaedam cognitu necessaria de Rebus publicis in genere et earum numero praemisero. (...) Respublica communiter et iam et olim sumitur pro Democratia et Aristocratia et frequenter angustiore adhuc significatione pro sola Democratia, ut Monarchia seu Regnum excludatur ab hac significatione. (...) Tyrannidem esse dicimus dominatum unius ad proprium commodum intendentis. Popularem autem statum, cum ad commodum egenorum. (...) Quenam forma (Reipublicae) magis valeat ad rem faciendam, ad commodiorem civium vitam, ad praecavendas seditiones et tumultus, ad arcendos hostes, ad conservationem libertatis..." hoc est exquirendum.

Idem de democratiae incommodis scribit haec: "1° Et quia multi egeni et pauperes in Republica ideo donis corrumpuntur plurimi et spe divitiarum ad iniusta impelluntur, unde variae molitiones. Namque vota sua vendunt iis a quibus opes sperant. 2° Destituuntur prudentia et intelligentia, qualis ad gubernationem et eligendos magistratus requiritur: itaque indignos dignis praefereunt. 3° Admodum indulgent affectibus, quos regere impotentes sunt; facile quoque oratione impelluntur ad inhonesta vel ea quae cum damno Reipublicae sunt coniuncta. 4° Minus quoque oboedientes sunt magistratui quem elegerunt, cum a se profectam illam auctoritatem et sibi licere eam in alios conferre existiment. 5° Omnibus haeresibus et sectis patens ianua praebetur."

Veniamus nunc ad nostra tempora. Inter multa

alia scripta, symbolam legi modo conscriptam (mense Octobri in diario c.t. "L'Echo") a praeside societatis Agfa-Gevaert Andrea Leysen. Sub titulo "De Solonis successoribus" nonnulla comperit et nonnulla monet: post singulas parlamenti electiones, electores solere decipi, cum rerum desiderata mutatio non fiat. Structuras nostras politicas videri scleroticas, i.e. suo Marte inhabiles ad quandam mutationem incohendam; civium libertatem et aequalitatem inter se discrepare; legibus rationem imponendam esse inter libertatem, qua crescit differentia inter cives, et aequalitatem, quae est contra naturam humanam. Europam iam neque cohaerentiam habere neque propositum; hoc unum superesse: materialismum liberalem, qui vix impar est materialismo socialistico; ad summam civicas virtutes evanuisse.

Exploratio certe vera, sed ubi non patescunt causae. Secundum Varenii definitione, ubique Europae nunc sunt res publicae, in quibus viget democratia, etiam si nonnullae simulacrum regni adhuc servaverunt. In eius longa dissertatione de singularitatibus regiminum totius orbis terrarum, non occurrunt partes politicae tales quales nostris temporibus factae sunt.

Antea civitas erat una; nunc divisa est. Partes politicae sunt quasi arces; sibi quaeque maximam rei publicae potestatem arripere conatur et maximam civium partem in statum clientum redigere cupit. Res mira: partes politicae, quae ingentes pecuniae moles tractant, nullam habent formam iuridicam nullasque rationes regulares praescribere debent (idem de syndicatibus). Sic intellegi potest incredibilis casus Secretarii Generalis Organizationis Tractatus Atlantici Septentrionalis (OTAN vel NATO) Vilelmi Claes Belgae, de quo nunc multum agitur. Quo enim in casu patet partes socialisticas Belgicas magnam pecuniae copiam corrupte accepisse a societate aeronautica Italiana Agusta, sed ambo harum partium praesides iurant se hoc omnino ignoravisse idemque facit Vilelmus Claes, qui tunc temporis partium arcarius erat!

Res civitatis iam non palam tractantur in parlamento, sed occulte inter partium regentes.


Aliud vitium est quod in dies iuniores homines curriculum politicum ineunt, unde fit ut etiam in re politica quaestum facere debeant. Sed ad rei publicae munera accedere nequeunt nisi quadam parte politica sustentati et propulsi. Quae cum ita sint, quis non intellegit eos potius propensos esse ad partis suae commodum quaerendum quam ipsius rei publicae?

Gaius LICOPPE



DE NAVE SANCTI DIDACI (III)

NARRAT GAIUS LICOPPE



Quattuor fere saeculis post navis Sancti Didaci naufragium, narratio proelii navalis ab omnibus historicis usque ad nostram aetatem accepta funditus mutanda apparuit modo omnino inexpectato.

Franciscus Goddio Francogallus anno 1985 condidit Institutum Europaeum Archaeologiae Subaquaneae. A quo tempore complures effossiones subaquaneas suscepit in insulis Philippinis una cum Gabriele Casal Philippinarum Nationalis Musei rectore. Iam reliquias septem navium scrutati sunt. Erant naves Sinenses vel Hispanicae, una etiam Anglica, quae demersae erant inter decimum et duodevicesimum saeculum. Quibus perfectis scrutationibus, cum de alia demersa nave exploranda cogitent, recordantur «diem Batavi», qui dicitur ab Hispanis historicis; quo enim die 14 m. Decembris a. 1600 Olivarius Noortius Batavus navale proelium commisit cum Antonio de Morga Hispano, cuius navis de Sancto Didaco nominata ad ostium Sinus Manilensis demersa est. Cum recens colonia Hispanica Philippinarum tunc adducta esset in maximum periculum et paene in


extremum discrimen, Franciscus Goddio putavit reliquias navis Sancti Didaci historiam illius temporis opportune illustraturas esse.

Attamen non tam difficile est consilium capere quam locum accurate reperire, ubi iacent navis reliquiae. Perlecta cladis navis Sancti Didaci tradita narratione, nonnullae interrogationes emerunt. Legitur enim proelium navale commissum esse inter minimam insulam c.n. Anasugbu, a litore Sinus Manilensis proximam, et insulam Fortunae. Quae insula decem chiliometris distat a litore. Antonius de Morga scribit navem suam demersam esse duabus leugis ab insula Fortunae, i.e. ad minimum octo chiliometris (leugae enim diversae longitudinis tunc temporis erant in usu). Quae si ita fuissent, Franciscus Goddio non intellegebat cur nantes Hispani litus non petivissent, cum essent in propinquo, sed ad multo longinquorem insulam Fortunae se contulissent. Aliae interrogationes in mentem veniebant: cur, imminente submersione, omnes fere Hispani in nave Sancti Didaci erant, cum ab Antonio de Morga narraretur eos atrocem pugnam cum Batavis

conserere in Mauritio, Olivarii Noortii nave? Cur Hispani 350 numero 59 Batavos longissima navigatione debilitatos intra sex horas exterminare non potuerunt?

His interrogationibus in dubitationem adductus, Franciscus Goddio a cooperatore suo Patricio Lizé postulavit ut plura documenta exquireret. Et, re vera, in Hispania documenta invenit cum inedita tum inexpectata. Eorum praecipuum repperit Hispale in archivo Camerae Commertii (v. Casa de Contratación): constat ex testimoniis 22 naufragii superstitum, qui inter diem 10 m. Ianuarii et diem 12 m. Iunii a. 1601, id est statim post cladem, interrogati sunt. Quae testimonia, a Senatus secretario Ludovico de Contreras manu scripta, numquam impressa neque divulgata sunt.

Legendo haec testimonia, tota proelii scena mutabatur. «Dies Batavi» aliter erat narrandus quam a navarcho Antonio de Morga relatus erat.



Pridie proelii nautae militesque navis Sancti Didaci sunt inquieti. Nimia hominum multitudo conscendit navem: circiter quingenti. Eo etiam augetur confusio, quod stega referta est innumerabilibus arcis, doliis, caveis lectisque. Praeterea navis periculose vacillat; instabilis est propter saburram nimis levem. Complures experti homines, inter quos ipse navis possessor, navarcho suadent ut saburram augeat; vicenavarchus Iohannes de Alceda scapham lapidum saburrarium plenam ad navem Sancti Didaci mittit. Sed Antonius de Morga nullum tempus perdere vult, cum timeat ne Batavi aufugiant. Solum iubet ut arcae, caveae et cetera impedimenta sub stegam conferantur: confusio in stega mutatur in confusionem sub stega.

Classis Hispanica est in portu insulae Maribeles. Constat e duabus navibus, quarum maiorem de Sancto Didaco nominatam regit navarchus Antonius de Morga et minorem de Sancto Bartholomaeo

nominatam regit vicenavarchus Iohannes de Alceda. Navarchus iussit ut die 14 m. Decembris prima luce ambae naves una solverent atque ad hostium naves velificarent. Sed, neglectis suis ipsius iussis, iam media nocte navarchus cum sola nave Sancti Didaci solvit. De quo a proreta monitus, vicenavarchus quam celerrime solve iubet, sed inter duas naves iam factum est intervallum unius horae. Quamquam ventus vehementer flat, navarchus omnia vela pandere iubet. Quare navis tam periculose inclinatur vento, ut omnes homines in adversum latus se conferre debeant.

Prima luce naves Batavorum adspiciuntur ad ancoram consistentes. Olivarius Noortius statim intellegit classem Hispanicam in se mitti. In suam navem c.n. Mauritius accessit quam plurimos nautas alterius minorisque navis c.n. Eendracht, quam a se dimittit ut conetur effugere et in Hollandiam apportare pretiosas informationes collectas de Hispanorum mercatura munitionibusque.


Mauritius, ad pugnam modo dispositus, appropinquantem navem Sancti Didaci ferit cannonum telis. Antonius de Morga quoque iubet cannonarios suos tela in Mauritium mittere. Infeliciter hi respondent hoc fieri non posse, imprimis propterea quod interior pars navis tam referta est arcis, caveis ceterisque impedimentis ut canones operari non possint. Insuper aqua in navem penetrat si columbaria¹ prae cannonibus in parietibus instructa aperiuntur.

Dum de his disputatur, Mauritiis canones iterum tela vomunt navemque Sancti Didaci vehementer laedunt. Antonius de Morga, cum videat rem suam esse in summo discrimine, iubet cum Mauritio concurrere, deinde in hostium navem transcendere. Ad quod faciendum magister nautarum interrogat num vela sint partim contrahenda. Negat navarchus, unde fit ut navis Sancti Didaci Mauritium maxima vi et non sine sua ipsius laesione impingat.

Hispani harpagones in Mauritium iniiciunt clamantes: «Vae canibus!» Dum navis Batavorum ancoris navis Sancti Didaci firmiter alligatur, Hispani pannos demittunt, quibus stega obtegebatur. Ibi subito Batavi adspiciunt trecentos Hispanos milites ad oppugnandum paratos. Cum ipsi tantum sint undesexaginta numero, post pauca tela sclopetis missa se confugiunt sub Mauritiis stegam.

Triginta circiter Hispani in Batavorum navem invadunt. Quidam ex eis malum scandit capitque vexillum coloribus caeruleo, albo aranciatoque ornatum, qui sunt principum Nassoviorum Aurantiorumque insignes. Hispani cum vexillis captis in navem suam regrediuntur ad referendum de rebus gestis atque navarchum adeunt ut imperet quid postea agendum sit. Obstupefacti inveniunt Antonium de Morga in stega ad carchesium

In insulis Philippinis



(Iuxta) Sanctus Didacus, velis expansis, aggreditur Mauritium qui vela sua contraxit.

(Infra) Ad sinistram, Mauritius partim laesus aufugit, dum Sanctus Bartholomaeus navem c.n. Eendracht persequitur.

Hae imagines editae sunt in opere Olivarii Noortii c.t. Description du pénible voyage d'Olivier de Noort (Amstelodami 1602).

iacentem, culcitis capoceis² involutum. Lividus est atque torpidus. Exspectant ut expugnationem imperet, sed ille manet mutus. Nauta quidam eius faciem aqua aspergit, sed frustra.


Altera navis de Sancto Bartholomaeo nominata, quam regit Iohannes de Alceda, tunc advenit atque cannonibus suis Mauritium ex propinquo ferit. Sed nonnulli Hispani qui in Mauritii stega manent clamant ad Iohannem de Alceda: «Nolite diutius navem ferire; nam capta est et abhinc pertinet ad regem Hispaniarum».

De nave Sancti Didaci secretarius Antonii de Morga clamat ad Iohannem de Alceda ut minorem Batavorum navem c.n. «Eendracht» potius persequatur. Batavi imparibus viribus perterriti per columbaria petunt ut sibi se dedentibus parcant Hispani.

Antonius autem de Morga, semper languidus, nihil imperat, quamquam officarii unus post alterum eum ad agendum lacessunt. Haec inertia animum Batavis paulatim auget. Nonnulli in stegam ascendunt et sclopetorum telis Hispanos ferunt.

Iam quinque horae a navium concursu consumptae sunt, cum in nave Sancti Didaci subito oritur rumor: perforata est carina; caverna aquae iam est fere plena. Qualis est causa: vehemens concussio in concursu navium? Columbaria aperta in latere inclinato? An ictus cannonum Batavorum? Nemo re vera scit, sed lignarii dicunt fieri non posse ut foramina praecludantur propter cavernam insolite refertam!

Spes apud Batavos renascitur. Olivarius



Noortius astutia quadam utitur apud nautas iam pridem usitata: ignem accendit in sua ipsius nave, e qua mox exit fumus ater. Quo conspecto, Hispani censent sibi eligendum esse inter duo eminentia pericula: sive una cum Mauritio comburentur, si ei manserint alligati, sive demergentur, si vincula solverint! Obstupefactis praesentibus Antonius de Morga iubet nautas vincula secare. Didacus de Santiago Iesuita statim contra dicit imprimis oportere Hispanos Mauritio potiri et omnes in hanc navem traducere, ne una cum nave submergantur. Sed Antonius de Morga, nondum sui compos, iterat iussa: solvite vincula. Quo difficulter facto, navis Sancti Didaci iam non longe discedit, cum subito «deprimatur sicut lapis», ut aiunt testes.

Inter primos Antonius de Morga navem periclitantem relinquit minima rate ex capoceis culcitis confecta sustentus. Adiuvatur fideli secretario et secum fert capta Batavorum vexilla.

In insulis Philippinis

Hispani in undam praecipitati omnia quaeque fluitantia apprehendere conantur. Ei, qui se ex chalybeia armatura tempori non exuerunt, statim merguntur! Nonnulli qui ad Batavorum navem nant misericordiam petentes lanceis vel sclopetorum ictibus trucidantur. Batavi enim ignem iam exstinxerunt, quem Olivarius Noortius consulto accenderat.

Reliqui Hispani usque ad proximam insulam Fortunae nant, quo ante omnes pervenit Antonius de Morga. Qui nunc videtur expergefactus; promuntorium statim ascendit, unde stomachans adspicit vicenavarchum inimicum suum Iohannem de Alceda victorem, qui secum alteram Batavorum navem c.n. «Eendracht» reducit captam...

Vera «diei Batavi» historia tandem restituta, Franciscus Goddio pro certo habuit navem Sancti Didaci multo propius insulae Fortunae demersam esse quam autumavit Antonius de Morga in sua relatione. In testimoniis ineditis nitens delineavit aream, ubi fundus maris perscrutandus esset.

Mense Decembri a. 1990 huius areae exploratio incohata est celoce bicarina³ sive catamarano velifero c.n. Kaimiloa. Franciscus Goddio speraverat se fundum maris planum inventurum esse, ubi satis facile detegeretur tumulus confractae navis. Invenit autem fundum salebrosum, unde eminebant multae corallicae asperitates. Inde comperit explorationem fore perdifficilem atque egere recentissimis subtilissimisque instrumentis exploratoriis...

(sequetur)



*Nautae sexti decimi saeculi.
A sinistris: gubernator; a dextris: helciarus.
Tales delineationes inveniuntur
in libris nauticis illius temporis.*

ADNOTATIONES

- ¹ columbarium, ii (Isid.) = Fr. sabord (de navire).
- ² capocum, i = Fr. kapok. Est vocabulum origine Malaesianum, quo nuncupatur plumae genus semina nonnullarum arborum involvens.
- ³ bicárinus, a, um (neol. secundum bicameratus confectus) designat navem cui sunt geminae carinae. Huius generis navis vocatur catamaranum (Angl. catamaran, depromptum de lingua Indica meridionali "Tamoul").

NUNTIORUM LATINORUM NOVUM HORARIUM



N.B.:
Tertius Nuntiorum Latinorum liber
in lucem nuper editus est.

EUROPE

Central European Time (GMT+1h)	Sun 06.53, 11.53am
Sat 22.53	Galaxy 5 6.20 MHz (09.23 6.80 MHz)
Eutelsat II-F1	Sun 07.53am
11755kHz/25m	15400kHz/19m
6120kHz/49m	11735kHz/25m
558kHz/538m	THE MIDDLE EAST, AFRICA
Sat 23.53	Times GMT
963kHz/312m	Sat 21.53
Sun 04.23	Sun 00.53, 03.23, 05.53, 11.53, 16.53
Eutelsat II-F1	Eutelsat II-F1
558kHz/538m	Intelsat 702
Sun 06.23	ASIA, AUSTRALIA
ASTRA 1B/WRN	Times GMT
Sun 06.53, 12.53, 17.53	Sat 21.53
Eutelsat II-F1	Sun 00.53, 03.23, 05.53, 11.53, 16.53
558kHz/538m	AsiaSat 2
NORTH AMERICA	
Times EST (GMT-5h)	
Sat 07.53, 08.23, 09.23, 10.23 pm	



Finnish Broadcasting Company
PO Box 99,
00024 Yleisradio,
Helsinki, Finland



MARGARITAS PHARMACEUTICAS

PROPONIT FRANCISCA DERAEDT

Intergaudia, quae solemus ex Latinis lectionibus capere, non spernendae sunt pharmacopoeae. Quamquam saepe videntur - et sunt - aridae eis, qui linguam Latinam magis callent quam scientias naturales, suas tamen margaritas non raro habent.

Nobis octo pharmacopoeae nuper fuerunt in manibus¹, inter annos 1561 et 1741 conscriptae, e quibus attractivas partes excerpimus et vobis hic proponimus.

At imprimis cogitemus oportet, quid sit pharmacopoea. Pharmacopoea est codex officialis, quo praeparatio medicamentorum accuratissime explicatur. Hanc rem codificandam singulae urbes

curaverunt, sicut anno 1636 Amstelodamum, anno 1638 Parisii (sed multae urbes Francogallicae multo ante habuerunt suam pharmacopoeam), anno 1641 Bruxellae, anno 1656 Ultraiectum, anno 1661 Antverpia, anno 1663 Gandavum, anno 1697 Brugae, anno 1741 Leodium.

Quorum codicum editio, a parlamento et a plerisque medicis diu desiderata, in posterum saepius erat dilata propter dissensiones inter fautores «novae» et «veteris» medicinae. Inde proemia saepe luctatoria, sicut haec, quae simul pertinent ad quaestiones et scientificas et ethicas:



Sicut corpus humanum, ita res publica: ut totius perfecta sanitas consistat, omnes eius partes bene valere necesse est, una enim aegrotante, mox ad reliquas languor extenditur. Ac proinde boni magistratus est, in regimine rei publicae prudentis medici officium gerere et vacillantes rei publicae partes corroborare, morbosas quam citissime sanitati restituere, vel si sanari nequeant, excindere, antequam corruptela ulterius proserpendo totum corpus labefactet. Hac sane in re, Patres Conscripti, vestra numquam satis laudanda existit sollicitudo. (...)

Hac de causa tandem etiam oculos coniecistis in medicinam, in illam scilicet rei publicae partem, cui sanitatis humanae conservandae vel restituendae cura auctoritate publica demandata est; cumque illam non satis bene valere, sed varios in ea morbos et noxia symptomata clanculum succrescere animadverteretis, prudentissimo consilio huius

curationi ocus incumbendum censuistis.

Ea vero in parte vestigiis maiorum insistere voluistis, qui olim publico decreto (chirurgici collegii legibus inserto) proscripserunt omnes agyrtas², circumforaneos, aliosque eius generis erroneos et impostores, qui personato medici titulo in medicinam irrumpunt tamquam fures in domum alienam, non tam ut aegrorum morbos, quam ut nummos tollant. (...)

Ad haec subditorum commodo ulterius studentes, pharmaceuticam medicinae partem crassis turbarum nebulis obfuscatam in lucem proferri ac splendori pristino restitui voluistis, ad eiusque restaurationem novas et salubres leges condidistis, nec non (ut in omnibus pharmacopolarum unanimes esset consensus) nobis medicis pharmacopoeam concinnandi provinciam imposuistis, qua arti pharmaceuticae languenti ita succurreretur, ut omni ex parte tuta, concurs ac firma deinceps subsisteret.

(Pharmacopoea Ultraiectina, Traiecti ad Rhenum, 1656, Dedicatio pp. 3-7)



Vitam brevem natura non fecit, sed pravitas morum: siquidem haec, cum apud alias gentes, tum apud nos, valetudinem afflixit; atque ubi ad medicinas tamquam ad sanitatis asyllum perventum est, in promiscua nimis tot medicamentorum

confusione, in tam periculosa sub persona medentium copia, saepe non minus remediis quam morbis laboratur.

(Antidotarium Gandavense, Gandavi, 1663, Dedicatio)

Hoc statim confiteamur oportet: plerique Latinistae, qui conantur pharmacopoeas legere, satis decepti sunt nisi peculiare studium dedunt historiae pharmaciae; nam his codicibus vix quicquam proponitur praeter longas series formularum, quarum exemplum iam legimus in *Melissae fasciculo 66°* (in quo proponitur formula



e pharmacopoei officio.

Felici ingenio et corpore bene constituto, moribus item compositis pharmacopoeum esse decet, liberalem, non avarum, fidum et a pueris in simplicium cognitione diligenter non solum versatum, sed qui omnia loca perlustrarit unde sibi plantas aliaque medicamenta colligere possit. Latinae praeterea



tatuta et decreta civitatis Gandavensis ad medicos, pharmacopoeos et chirurgos spectantia. [sparsim]

III. Et cum inter medicos et pharmacopoeos perpetuam oporteat esse concordiam, senatus praecipit, ne medicus quispiam alteri, quam illi, quem aeger sibi elegerit, pharmacopolae praeparanda det medicamenta, neque in prioris pharmacopolae detrimentum alium proponat; uti neque vice versa pharmacopolae aegris (quorum cura ordinario commissa est medico) alium medicum quocumque praetextu commendare studeat, idque sub mulcta duodecim florenorum.

XI. Pharmacopoei omnes et aromatarii ad Antidotarii huius tenebuntur observationem, neque aliquas medicamentorum immutabunt compositiones, eisque nec aliquid addent, nec dement, neque etiam alicubi confecta, huc inferent medicamenta et divident, quod sub sollemni vovebunt iuramento, et qui contra hoc fecisse deprehendentur arbitrarie, pro delicti merito punientur.

XIII. Pharmacopoeorum nemo aegrotum sub specie medici doctoris aut licentiatii (sicut saepius evenit) visitabit.

XV. Medicamentorum etiam purgantium, scammoniatorum, opiatorum eorumque, quae seriam merentur considerationem, nulli tironi permittent praeparationem, nisi ei, qui ad minus biennio magistro pharmacopoeo cohabitaverit et in arte pharmaceutica exercitatus fuerit. Uti neque uxoribus aut ancillis aliisque imperitis arsenici, sublimati, antimonii, hellebori, diagrydii, colocynthidis, radicum esulae et similium, tam simplicium quam compositorum (quae gravem noxam inferre possunt) liberam relinquent

theriacae p. 7).

Feliciter etiam inveniuntur themata magis attractiva. Multum agitur, inter alia, de aspectu ethico pharmaciae, de pharmacopolae necessaria moralitate, de eius indole, de medici qualitatibus, id est de deontologia.

linguae tam peritum esse oportet, ut Dioscoridem, Galenum, Serapionem, Mesuem, Avicennam³ reliquosque qui de materia φαρμακευτικῆ scripserunt, intellegere possit.

(*Antidotarium, sive de exacta componendorum miscendorumque medicamentorum ratione libri tres, Antverpiae, 1561, liber primus*)

ventionem, sub mulcta quatuor florenorum quoties id fieri permiserint.

XVII. Quicumque in pharmacopoeos admitti volent, linguae Latinae gnari sint oportet, ut Antidotarium hoc nostrum, artis institutiones, auctores de medicamentorum compositionibus tractantes, paradigmata seu medicorum praescriptiones probe intellegant.

(*Antidotarium Gandavense, Gandavi, 1663*)



Nunc ad res practicas. Re vera, si formulas medicamentorum lego, quibus saeculis praeteritis medici confidebant se aegros sanatuos esse, vehementer gaudeo quod vicesimo saeculo nata sum. In pharmacopoeis describi solent remediorum



rochisci de vipera Galeni.

Recip. vyperas num. XX

Sumendae sunt autem, non quae quovis tempore captae sunt, sed a medio potissimum Aprili in finem usque Maii aut paulo tardius, locisque procul a mari dissitis. Eligendae sunt feminae, quaeque colore subflavo sint, non praegnantes, quae caput latius habeant et depressum, collum longius graciliusque quam mares, ventre vastiores, cauda minore, quae non involuta est, sed potius contorta et distensa, incessu quieti proximo, quae tamen postremas partes in incessu magis moveant, aspectu ferino et inverecundo, oculis subrubentibus, et recens captae.

Capita primum et caudas amputabis quattuor digitorum longitudine utrimque; his amputatis considerandum est si motum quendam in ipsis residuum conspicias sanguinemque multum fundent, nam hae ceu praestantissimae sumendae sunt. Deinde, pelle detracta, interanea cum adipe abiicienda erunt, reliquum corpus in ollam novam bene

formulae, non eorum usus; itaque vestra phantasia sibi libere excogitare potest, qui fuerit usus pilularum (sive trochiscorum) ex vipera confectarum, quas Claudius Galenus secundo saeculo iam videtur descripsisse:

coctam immittendum et coquendum in aqua fontana, additis anethi comis et sub finem pauxillo salis, (ignis autem esto e carbonibus accensis aut sarmentis vitium) donec carnes a spinis separentur.

Cum coctae fuerint, ollam ab igne depones, et carnes diligenter a spinis exemptas per se contundes nulla iusculi addita parte, et addito pulvere panis biscocci maxime puri, quantum pastillis formandis sufficiat, quae erit secundum Galenum tertia aut quarta pars, admisceto. Formabis in pastillos ponderis duarum drachmarum et siccabis in superiore aedium parte, in cella ad meridiem conversa, a pulvere diligenter mundata. Saepe autem convertendi sunt, per quindecim dies aut eo amplius, donec probe exsiccati fuerint, deinde in pyxidem vitream aut figulinam vitratam bene obturatam reponendi.

(Antidotarium, sive de exacta componendorum miscendorumque medicamentorum ratione libri tres, Antverpiae, 1561, liber secundus, p. 95)

Paene volumus addere: «Bene sapiat!»; adeo haec formula magis culinaria videtur esse, quam pharmaceutica. Ceterum de iusculo non dicunt quid postea agant.

Pharmacopolae non solum pilulas conficiunt, sed etiam unguenta, quibus necessariae sunt pinguedines sive axungiae sive adipēs. Hae aliaeque formulae, quas vobis promitto orexin vestram excitaturas esse, proponentur in proximo Melissa fasciculo. Quibus adiungemus necessarias explicationes, quae pertinent ad pondera et mensuras. ❧

ADNOTATIONES

- 1 sc. Antidotarium (Antverpiae 1561), Methodus Miscendorum Medicamentorum (Parisiis, 1572), Codex Medicamentarius seu Pharmacopoea Parisiensis (Parisiis 1638), Pharmacopoea Ultraiectina (Traiecti ad Rhenum 1656), Pharmacia Galeno-chymica Antverpiensis (Antverpiae 1661), Antidotarium Gandavense (Gandavi 1663), Pharmacopoeia Brugensis (Brugis 1697), Pharmacopoea Leodiensis (Leodii 1741). Quae omnia opera inter annos 1973 et 1979 iterum edita sunt Gandavi apud editorem Christianum De Backer, modo anastatico.
- 2 Gr. ἀγύρτης = circumforaneus
- 3 Medicina illius temporis adhuc spectat ad antiquitatem et medium aevum: Dioscorides primo saeculo floruit, Claudius Galenus secundo; Serapion Alexandrinus (c. 200-150 a.C.n.) creavit scholam medicinae empiricae; Iohannes Mesue (saeculo duodecimo), oriundus e stirpe regum Damasci, vocabatur «medicorum evangelista»; Avicenna undecimo saeculo floruit; eius opus ex Arabo in Latinum sermonem versum ab Armengando Blasii de Montepesulano (Basiliae editum a. 1556) invenitur apud Parisinam domum editoriam «Les belles Lettres».

BALTHASARIS ET MELCHIORIS MORETORUM, PLANTINI

NEPOTUM, EPISTOLAE ET CARMINA INEDITA (SAEC. XVI) (I)

SCRIPSIT THEODORICUS SACRÉ

Balthasar Moretus (Antverpiae 1574 - 1641), Iohannis filius, Plantini architypographi Antverpiensis nepos, annos amplius XXV condigne et cum decore praefuit Officinae Plantiniana; ex qua totum emisit in orbem agmen librorum splendidum, Plantino non indignum, imaginibus Rubenianis passim adornatum. Idem vir eruditione claruit sua quoque ipsius et arte Latine scribendi, qua eum instituerant cum praeceptores Antverpienses, tum Iustus Lipsius, professor Lovaniensis idemque Plantiniana familiae amicus intimus. Nec porro ultimum ille inter poetas Belgii Latinos obtinere vulgo dicitur locum, etsi alienis usque favit fetibus, suis experimentis, qua erat modestia, plerumque est diffisus. Paucos ergo versus libris ex Officina prodeuntibus praemisit, carmina

plura, sive immatura erant, sive matura, in scriniis servavit inedita; quae eodem in loco etiam nunc adservantur et nobis hisce mensibus recognita sunt et existimata.¹ Numero ergo vincunt iuvenilis Musae primitiae, non virtute poetica. Ex quibus tamen apparet quam assidue sese dederit ille rebus metris adstringendis quantave incrementa primordis haud ita magnis diuturnus attulerit labor. Iam nonnullos ex eis libemus flosculos; teneros, amice lector, ne spernas flores; teneris nonne tu quoque e seminibus Latine coepisti florere? Proinde qua par est benevolentia respice ad exercitationem qua in re poetica discipulus saeculi XVI exeuntis est usus; et cogita eadem aetate eadem in schola eadem fere exercitia ludenda fuisse Petro Paulo Rubenio, pictori futuro.

1. NEPOS AVO SUO CARISSIMO S.D.P. (BALTHASAR MORETUS PLANTINO) [ANTVERPIAE, ARCHIV. PLANT., 202, FF. 11V-12R]

Primitiarum pars maior continetur codice CCII Plantiniano. E quibus primum descripsimus hoc poemation ad Plantinum avum datum, quod verno anni 1589 tempore scripsisse videtur Balthasar, cum esset syntaxeos sive tertiae classis alumnus. Eo ergo anno scholastico rebus ille metricis primum, ni fallimur, imbutus est; inde balba Musae loquela. Paucis vero post annis de cruce versiculi denuo sunt conditi a Balthasare apud Lipsium tunc versante; quos dignos iudicavit Lipsius, qui praemitterentur De cruce libris tribus Lipsianis ad sacram profanamque historiam utilibus (Antverpiae, 1593, f. b3 r).

Carmen de cruce Christi

O sacra crux, salve, salve, venerabile lignum,
rursus, crux, salve, nostrae spes unica vitae,
tu, quae portasti Dominum qui cuncta creavit
aequora, aquam, terram, fulgentia sidera caeli,
aera, agros omnes, Vulcanum, flumina, colles,
montes excelsos, saltus camposque virentes,
omne genus pecudum, pariter genus omne ferarum,
squamosumque pecus, pisces pictasque volucres,
Titanem, mundum, caeli sedesque supream,
caelicolas, homines omnes et denique cuncta
quae vel sunt vel erunt vel usque fuere locorum.
Huius supremi tu crux es purpura Regis,
nobilibus gemmis nitidisque ornata lapillis.
Inter tu cunctas arborum dignissima Christo
es visa ipsius faustissima tangere membra.
Ipsa redemisti mundum, qui crimine cuncto
commaculatus erat; gentes, quae idola colebant
plurima (Saturnum, Vulcanum, Pallada, Phoebum,
Iunonem, Maia genitum, Veneremque Iovemque
atque deos plures quos non memorare necesse est)
unum fecisti tu glorificare potentem
Christum. Tartarei deterras daemones antri
namque potestatem tu hominum, solacium, eorum
aufers, humano generi tribuisque salutem
aeternam. Te igitur collaudet spiritus omnis,
laude satis digna poterit te extollere nullus.
Nam mare quot pisces, homini tot commoda praebes
qui te non spernit sed amans complectitur usque.

Pro paucis tibi quae exscripsi, carissime multum
o ave, praeclaros donas mihi corde lubenti
libros, unde tibi dignas persolvere grates
debita vel recte non praemia reddere possum.
Hinc mea Musa monet me carmina pauca sonare,
prorsus ut indignus merito non esse precarer,
egregiis libris his cum non ulla vicissim
munera donarem, quae inculta proferat arte
ingenium (mihi enim non extant aurea dona).
De cruce sancta igitur decrevi scribere paucos
versus, quae Dominum portavit cuncta regentem.
Ergo, ave care, precor cupias mea carmina pauca
consuluisse boni, veluti tua munera grata
sunt mihi. Perbelle valeas, ave, tempore cuncto.



2. FILIUS PATRI S.D. (BALTHASAR MORETUS IOANNI MORETO) [ANTVERPIAE, ARCHIV. PLANT., 1150 A, F. 52R]

Carmina autem nonnulla et iunioris et maturioris aetatis Morettanae comprehenduntur codice MCL Plantiniano; alia videntur (rebus nonnullis mutatis) e codice CCII descripta, alia haec tantum leguntur. Nos psalmum quendam versibus redditum selegimus quem ederemus. Eiusmodi enim paraphrases Camenae alumnis saepe numero proponebantur. Strophae autem hae Sapphicae mense Iunio anni 1589 conditae sunt; nam versus XIII et XIV referuntur ad Carmen in laudem Natalis S. Ioannis Baptistae (cfr. codex CCII, ff. XIV r - XV r).

Iunii mensis redeunt honores:
ecce lux toto celebratur orbe
sacra Ioanni, pater alme, cuius
nomina gestas.

Si mihi haud aeris rutili deesset
copia, insignem, genitor, Minervae
traderem ramum tibi vel sacratae
praemia lauri.

Sed quia, ut nosti, pretiosa pauper
dona largiri nequeam, procuro
grata quae spero pariter futura
munera mentis.

Versibus nuper celebrasse divi
festa Ioannis memini; hunc secundum
Davidis psalmum referam prophetae
carmine Sapphus.

Psalmus II. Davidis

Tanta quae gentes rabies scelestae
impulit mentis sibi consulentes
pessime, in lites tetricas loquacem
solvere linguam?

Qui suis reges monitis ducesque
territant mundum, Domino potenti,
eius et Christo fatui pericla
nectere gaudent.

«Vincla rumpamus quibus ipse stringit
nos poli rector», temere profantur,
«non decet rerum dominos potentes
lege teneri».

At Deus, celsae moderator arcis,
qui nihil coeptis hominum movetur,
ridet et constans stolidos eorum
despicit ausus.

Ille qui vindex scelus omne punit,
acribus verbis animos eorum
perfidios iusta modo territabit
percitus ira.

Me potens iussit pater angelorum
qui coruscantis regit astra caeli

regium sceptrum gerere in Sionis
vertice celso.

Iamque supremi referam parentis
ore sacratas populis fideli
devis leges, violanda pravo
iura nec ausu.

Edidit vasti fabricator orbis
inclitus tales pater ore voces:
"Tu modis multis mihi carus unus
gnatus haberis;

te mihi aequalem genui potenti
numine, et nutu moderante cuncta,
hoc novum terris iubar advehente
sole quadrigis.

Poscito quidquid tua mens amabit,
et tuis laetus potiere votis,
quin tibi gentes subigam superbas
scepra tenenti.

Insuper terram dabo possidere;
desinet caeli prius omnis umor
quam tuo regno statuatur ullo
terminus aevo.

Ferreis sceptris modereris omnes
et tua dextra reprimas rebelles,
dissilit casu veluti repente
testula fracta."

Ergo vos, reges, titulis superbi
et duces, tellus quibus haec regenda
traditur, posthac pietate ducti
discite rectum.

Vos iugum summi superum parentis
ne recusetis Domini subire
ac ei laudes meritas decusque
solvere dignum.

Non Dei legem pigeat vereri,
ne, sua quando rapietur ira,
vos sinat captos ratione letum
triste subire.

Cum brevi iustus Deus aestuabit
ira, habebuntur nimium beati
quos fides verax comitatur et spes
certa salutis.

Finis psalmi

Hoc precor lauri vice carmen esto
et, pater, felix valeas in aevum,
mortuo donec tibi Christus altum
pandet Olympum.

Tuus ad quaevis paratissimus filius
Balthazar Moretus

3. VERSUS ALBO ABRAHAMI ORTELII AMICORUM INSCRIPTI

Hos versus tirocinio poetico posito scripsit Balthasar annum agens XXIII; inscripsit autem albo Abrahami Ortelii amici, qui erat geographus suae aetatis princeps (Antverpiae 1527-1598). Cuius albi variorum manibus conscripti et Cantabrigiae nunc servati imagines photographicas suppeditavit J. Puraye (cfr. Album amicorum Abraham Ortelius reproduit en facsimile, annoté et traduit par Jean Puraye avec la collaboration de Marie Delcourt (...) (Amstelodami, 1969) (pp. 114 et 88). Indulsit hic poeta noster anagrammati sive anagrammatismo, cuius saeculum XVI exiens erat admodum curiosum.

ABRAHAMVS ORTELIVS
MVSAE ORBIS ALATVR

Phoebus ut aethereis lustrando sedibus orbem
omne videt saevo fervere Marte solum,

«Ergo perit honos», inquit, «cui luceo terrae
et chaos antiquum nec mage mundus erit?
Quem, Bellona, premis, MVSAE nunc ORBIS
ALATVR

mando, nec ingenii deneget Ortel opem.

CLARISSIMO VIRO
DOMINO ABRAHAMO ORTELIO
GEOGRAPHO REGIO
hunc nominis eius anagrammatismum
amoris perpetui notam
merito lubens scribebat
BALTHASAR MORETUS
IOANNIS FILIVS PLANTINI NEPOS
Antverpiae VIII Kal. Octob. M.D.XCVI

¹ Cfr. D. Sacré, «Balthasar Moretus» conamina poetica (1588-1592)», De gulden passer (sub prelo).

DE ETYMOLOGIA ANTIQUA

SCRIPSIT IOHANNES VAN KASTEEL

Praeterito mense Augusto Vavriae in Belgica feliciter habitum est seminarium Latinitatis Vivae, a Societate Latina Saravipontana institutum, quod moderati sunt Dr P. Caelestis Eichenseer et D.rix Sigrides Albert.

Qua occasione data cum de multis rebus tum de etymologiis multum et vivaciter disputatum est.

Graecorum et Romanorum veterum scientia c.n. etymologia¹ nobis videtur inique iudicari ab hominibus scientificis modernis. Causa est quod hi in iudicio suo varios explanandi gradus confundunt. M. Terentius Varro, homo eruditissimus sui temporis (vixit saeculo primo a.C.n.), in initio libri quinti de lingua Latina, quattuor gradus distinguit et describit:

«Nunc singulorum verborum origines expediam, quorum quattuor explanandi gradus.

Infimus quo **populus** etiam venit: quis enim non videt unde argentifodinae et viocurus?»

Etenim nemo est quin facile intellegat argentifodinam esse locum ubi argentum foditur, viocurum virum qui vias curat. Nota bene istum gradum explanandi infimum appellari; popularis quoque recte dici potest, quippe qui etiam a populo intellegitur.

Cum longe abesset, ut omnes de variarum etymologiarum firmitate assentirentur, sodalis noster Iohannes van Kasteel inquirere voluit, quid interesset inter etymologias «veras», «scientificas», «Varronianas», «privatas», «phantasticas». Ecce fructus eius investigationum.

«Secundus (sc. gradus) quo **grammatica** escendit antiqua, quae ostendit, quemadmodum quodque poeta finxerit verbum, quod confinxerit, quod declinarit.»

Hoc loco Varro nonnulla verba a Pacuvio poeta ficta proponit; e.g. «clupeare» significat «clipeo (clipeo) munire». Hic gradus videtur primo proximus.

«Tertius gradus, quo **philosophia** ascendens pervenit atque ea quae in consuetudine communi essent aperire coepit, ut a quo dictum esset oppidum, vicus, via.»

E.g. «via» infra explanabitur «qua vehebant». In hoc exemplo sensus philosophicus fortasse non statim apparet.

«Quartus, ubi est aditus et initia **regis**.»

Alludit ad sensum occultum et ad mysteria antiqua pertinens².

De etymologia

Ergo quattuor modi etymologiae exstant, quos appellare possumus: popularem, grammaticum, philosophicum et regalem vel occultum. Quae enumeratio sic concluditur:

«*Quodsi summum gradum non attigero, tamen secundum praeteribo...*»

Hanc monitionem esse magni momenti illustrari exemplo potest:

«*Volpes, ut Aelius dicebat, quod volebat pedibus.*»

Est manifeste explanatio gradus tertii, i.e. philosophici. Nam apud alios scriptores volpes (vulpes) deo Mercurio associatur. Quia id non animadvertit, Iohannes Collart, qui editionem huius libri Varroniani apud societatem c.n. «Les Belles Lettres» curavit, in commentariis suis hanc etymologiam facetam (Fr. «cocasse») appellat et, tamquam scriptor Latinus numquam de tertio gradu locutus sit, adiungit: «Vera etymologia volpis nota non est.» Tamen notat eam etymologiam, quam Varro iam Aelio attribuit, «religiose traditam esse per totam antiquitatem».

Hic plures res animadvertendae sunt.

Primo, paene omnes commentatores hodierni, qui de etymologiis a Platone, Varrone, Isidoro et ab aliis scriptoribus antiquis expressis tractant, persaepe voce plena sive contemptiois sive miserationis eas falsas, absurdas, phantasticas, vel simpliciter ad risus spectantes iudicant. In editione supra citata, ubi textus Varronianus sexaginta paginas occupat, Iohannes Collart necessarium aestimavit centum et septem paginas commentariis suis, litteris minoribus quoque scriptis, implere maxime ad Varronem irridendum,


reprehendendum, corrigendum, fustigandum. Non est editio, sed seditio! Causam huius habitus satis miri et vani iam diximus: etymologi moderni ignorant, vel ignorare affectant, etymologias antiquas saepe sensu philosophico et cum grano salis intellegendas esse; immo ipsam etymologiam a principio partem philosophiae fuisse et imprimis a philosophis cultam esse. Illi data opera tertium, nedum quartum, gradum explanandi omiserunt ut duos infimos tenerent solos. Hoc modo scientia vetus venerabilisque truncata et amputata est; restat corpus sine capite.

Secundo, etymologia antiqua est scientia non solum philosophica, sed traditionalis et religiose tradita. Numquam igitur nec perfici nec progredi potest, quod tamen non est vitium, sed testimonium perfectionis suae. Quamvis ridicula dicatur et habeatur a modernis, sua dicta nec mutavit nec mutabit. Etymologia moderna autem non semper de omnibus rebus eadem iudicavit; nonnullae regulae, olim acceptae, postea reiectae sunt. Ad hoc, saepe etymologi inter se non consentiunt.

Tertio, iidem etymologi, variis explanationibus antiquis neglectis et reiectis, ipsi non alias, nedum meliores, invenire possunt. Quam saepe in lexicis hodiernis post vocem aliquam legitur: «etymologia ignota» vel «obscura»!

Quarto, est contradictio aperta dicere talem vel talem etymologiam falsam esse. Itane ignari sunt de etymologiae etymologia etymologi? Hoc enim verbum significat scientiam vel artem *veri dicendi*; Latine veriloquium dicitur, i.e. veracitas. Nam ad veritatem spectat haec ars; verum enim sensum verborum aperire vult. Debet veritatis inventor factus esse (non parva res), qui de hac scientia iudicare se posse putat.

Postremo, est opinio vere subversiva ea quae



Participes seminarii Latini Vavriensis, quo tot tantaque disputata sunt de etymologiis. Sed haec non fuit nostra sola occupatio; inter alia participes etiam invitati sunt a Stephano Feye eiusque uxore, qui iucundissimum prandium praeparaverant. Carmen hic ostendimus, quod poeta Rainardus Brune ad gratias agendas familiae Feye dedicavit.

CARMEN GRATULATORIUM
cecinit Rainardus Brune

Verba mea pauca;
cano voce rauca
pudice prolatum
carmen adamatum.

Hospes sum adductus,
opulenter fructus
Erae suavi cibo,
Eri russo vino.

Domus est donata,
splendide ornata:
florent ibi gratiae,
personant melodiae.

Cives huius saeculi
tales sunt paucissimi.
Deus vos arrideat,
clemens vos custodiat.

efficit ut hodie etymologi saepe soleant etymologias philosophicas denominare populares. Immo vero, illa scientia vetus nonnisi ab hominibus eruditissimis et omnibus artibus instructis accepta, exculta et tradita est. Re vera, etymologia moderna est ipsa nihil fere aliud quam popularis aut grammaticalis, quia numquam primum vel secundum gradum verbi explanandi praeterit.

Nunc duo veteris etymologiae exempla proponemus, ut eius commodum clarius appareat.

Graeci dicunt «theous», i.e. deos, ita appellatos esse quia «thein», i.e. currere, soleant. Quid etymologi hodie proponunt? Olim dicebant «theon» eandem vocem esse ac Latine deum. Postea maxima cum prudentia invenerunt etymologiam «theou» esse... obscuram. Sed sive «theos» idem est ac deus, sive non, nihil interest ad nos docendos rem maximi ponderis, scilicet quis sit is quem sive pagani sive Christiani «Theon» appellaverunt. Ergo si fidem nostram in etymologis modernis ponemus, numquam in hac re instruemur; paulum aberit quin (quod dii avertant) atheisti vel agnostici³ fiamus. E contra etymologia supra dicta (sunt alia quoque non minoris pretii), quia traditionalis est, multa per saecula permanebat. Nos aliquantulo sapientiores, ut ita dicamus, fecit, quia nunc scimus Deum currere, fortasse ut volpes...

Alterum exemplum: verbum *sanctus* a veteribus sic explanatur: *sanguine consecratus*. Moderni autem docent id nonnisi participium perfectum verbi sancienti esse; sancire esse sanctum facere; *sanctus* eiusdem radices esse cuius *sacer*, verbum eodem fere sensu. O veram et summam scientiam! Hanc «veram» etymologiam esse affirmant, sed quomodo sancti fiant nesciunt. Certe Christiani,

veterem etymologiam meditando, intellegent se sanctos fieri posse nonnisi sanguine Christi consecrati sint.

Hoc sufficiet ad nostra proposita illustranda. Ostendere voluimus etymologiam modernam esse tantum parvam et infimam partem eius scientiae quae vere etymologiae nomine digna est; eam non progressum esse, ut etymologi false clamant, sed re vera maiorem partem antiquae sapientiae respuisse et nos ignarissimos effecisse et insipientes reliquisse.

Nonne incredibile esset si veteres philosophi, qui nos de prudentia tot et tanta docuerunt, in scientia linguae suae subito totam prudentiam omisissent et sine regula, sine fundamento delirare coepissent? Id credat qui vult! Etymologiam antiquam et sapientissimam, a summis hominibus traditam, contemnendo vel irridendo, praeteribimus caeci veritatem, sicut isti proci rustici, Mentore praesente.

ADNOTATIONES:

- ¹ Hoc verbum etymologiae habet duas significationes: est scientia originis verborum explanandae; est etiam ipsa explanatio alicuius verbi. Animadverti tamen debet scriptores antiquos solum sensum secundum accepisse videri; scientiam ipsam appellavisse etymologice.
- ² Paulo infra scribit: «Pythagoras Samius ait omnium rerum initia esse bina.»
- ³ Atheisti credunt (!) Deum omnino non esse; agnostici, eum fortasse esse, sed nos numquam pro certo scituros.

DE SCRIPTORE FINNICO MICHAELE WALTARI

SCRIPSIT PIA KARELAHTI

Iam praeterito fasciculo rettulimus Thomam Pekkanen ad nos duos textus misisse ab alumnis conscriptos. Ecce alter textus, quo Pia Karelahti de scriptore Finnico Michaele Waltari tractat; sic non

solum aliquid percipiemus de scriptore, qui plerisque nostrum non est notus, sed etiam generaliter cogitare poterimus de labore scribendi et de animi cultura.

Multa opera scriptoris Waltari legi et semper lingua eius me similiter delectat. Argumenta saepe quodam modo historica sunt et praesertim de tempore antiquo narrant. Notissimum opus eius certe «Sinuhe Aegyptius» est. Eventus illius in tertium decimum saeculum

ante Christum natum pertinent. Opus ex quindecim libris constat. Libri vitam medici Sinuhe tractant, qui infans orbus Thebae apud medicum pauperem crevit, ipse quoque medicus factus est et apud pharaonem Ekhnaton chirurgus cerebri egit. Waltari numquam in Aegyptum iter fecisse narratur et tamen opus historicum cum multis rebus singulis



accurate descriptis scribere potuit.

Waltari anno millesimo nongentesimo octavo natus et anno undecogesimo mortuus est. Argumenta, quae in hoc exagio propono in libro «Recordationes Scriptoris» repperi, qui editus est ab Ritva Haavikko. In illo libro de familia, iuventute et vita sua narrat. Etiam refert quo modo opera sua sint orta, quo modo argumenta invenerit et textus creaverit.

Nuper Ecclesia Nautarum primum opus eius publicavit, omnino tria milia exemplaria. Auctor ipse opus non magni aestimavit et in «Recordationibus» dixit se operis illius pudere. At nunc post septuaginta annos Ecclesia anniversarium suum centum viginti annorum celebrans iterum opus idem edere voluit. Titulus operis «Deum fugiens» est et Waltari id scripsit cum iuvenis septendecim annorum esset. Ad opus scribendum decem dies consumpsit.

Nunc refero quid Waltari de arte scribendi cogitaverit. Solitudinem pueritiae et orbitatem stimulos ad studium scribendi fuisse. Sub pressione ingenium verum oriri. Scriptorem omnia curare debere. Observationes in subconscientia manere et inde in scribendo materiam praebere. Varias res in actis diurnis cogitationem movere posse, memorias excitare et comparationes in animo creare. Televisionem esse noxiosam; eam non satis spatii movendo animo dare et observationes saepe solum coalescere. Itinera peregre necessaria esse, praesertim in scribendis operibus historicis. Studia theoretica ut hominem intellegas necessaria et fructuosa esse. Waltari ipse noluit opera sua recordari, maluit omnia ex animo delere et aliquid novi iam experiri.

In scribendo liberationem de quadam massa cogitationis aut de experiētiis vitae difficilibus multum significare. Praeterea nullum scriptorem mente sapientem esse. Scriptoris ingeniosi proprium mentem insipientem esse. Ipsum tempore quo multum creaverit saepe in valetudinario fuisse. Hominem in arte litterisque argumentum esse magni momenti. In operibus suis homines in liberiores convertere se conari, ut eos ab opinionibus praeiudicatis solvat. Etiam res oeconomicas magnam causam scribendi fuisse, praesertim in annis praematuris. Ita multa opera, qualia ipse non aestimaret se creavisse. Anno quinquagesimo septimo academicus nominatus est et condicio eius oeconomica melior facta est, nam salarium accipere coepit. Eo tempore «Sinuhe» quoque in America publicatus est et ideo plus etiam pecunias sibi paravit.

Porro de arte scribendi his fere verbis loquebatur. Omnia ex intuitionem et momento temporis incipere. Hanc experientiam de nonnullis secundis ad decem

minutas durare posse. Sub vi intuitionis tempus omnino significationem perdere, sed eam vim tamen multum valere. Exempli gratia intuitionem operum «Michael Hakim» et «Michael Pilipes» initium clarissimum fuisse. Eo ipso tempore in valetudinario sub effectu insulinae fuisse et aperte loca actionum vidisse.

Sensus severos, praecipue amorem, saepe ad originem operum optimorum iungi. Complura et varia argumenta posse simul in mente esse. Tamen raram esse talem condicionem, potius in iuventute plus ordinarium, cum animus corpusque sana atque robusta iam sint. Praeparationem operis longum tempus postulare, multos annos ante ipsum scribendi laborem durare posse. Artem pictoriam saepe fontem inspirationis esse. Exempli gratia faciem Michaelis Pilipedis eandem atque in quadam tabula Tiziani esse, cui titulus «Juvenis manicas tenens» esset. Omnes imagines pictas Paracelsi se habere, in quibus sententia «Omne donum perfectum a Deo, imperfectum a Diabolo» esset.

Pictores veteres et acta diurna materiam esse magni momenti. Brevem paragraphum in diario totam narrationem creare posse. Itaque multum valere semper oculos apertos habere. Iam puerum cum tabulis geographicis se lusisse. In operibus historicis eas multum significavisse. Etiam veteres inscriptiones Romanas complures stimulos sibi dedisse. Opus «Turms Immortalis» scribens studiosum numismaticum et nummorum Graecorum peritum se fuisse. Occasionem Italiam et civitates Etruscas visitandi se habuisse. Saepe aliquam rem tamquam symbolum totius operis se tenuisse, nummum argenteum Graecum opus Turms scribens habuisse. Et nummum aureum Neronis et Vespasiani cum «Hostes generis humani» scriberet.

Etiam tempus anni in opere scribendi multum valere. Praecipue primo vere textus facile se creavisse. Totam hiemem se materias collegisse et historiam legisse, vere deinde stimulos et desiderationem rus transmigrandi venire. Tempus laborandi et mores vitae ordinaria esse debere. Se etiam septem horas singulis diebus scribere potuisse, cum «Sinuhe» praepararet. Diebus optimis viginti septem paginas se scripsisse. Fumificationem fortiter cum suo labore iunctam esse, adeo ut tandem anno duodeseptuagesimo cancrum pulmonum acciperet. Interdum facile quadraginta aut quinquaginta sigarulas in die se fumavisse.

Somnia etiam magnam vim in libris perficiendis habuisse. Se nonnulla somnia eadem identidem vidisse, in quibus in urbe incognita praeteriti temporis ambularet.

Quosdam investigatores Italicos quondam ipsum ad se vocavisse, ut experimenta secum facerent de renascentia sua. Eos certe se scire putavisse ipsum multas vitas vixisse, quippe qui ita credibiliter scribere sciret... 2

RECORDATIO AESTIVA



Iosephus M. Sanctius Martinus et Augustinus Cano

De coetu Hispanico.

Ineunte mense Septembri nos Melissae moderatores Matriti paulisper morati sumus, ubi nobis contigit nonnullos sodales Latinos apud Augustinum Cano convenire. Qui vir, legatus Hispaniae rude nuper donatus, iam duo seminaria Latina in Belgica participavit atque Matriti circulum Latinum instituit, cui nomen dedit "Foci". Indefesse in urbe capite Hispaniae exquirat homines, quibus Latinitatis perennitas vitalitasque sit cordi, atque eos invitat ad circuli sessiones participandas, quae singulis mensibus in eius domo habentur.

Augustinus Cano etiam quaesivit invenitque locum idoneum ad seminarium Matriti habendum, ad quem invisendum nos sine mora duxit. Est magnum aedificium c.n. "Colegio Mayor Tomas de Aquino" in extenta civitate universitaria situm, ubi conclavia cibique alumnis praeberi solent inter studia. Bina conclavia sunt lavatione pluvia locisque secretis praedita. Aedificium circumdatum est magno viridario, ubi in promptu sunt natabulum et taeniludium. Cum mense Augusto fere omnes alumni civitatem universitariam relinquere soleant, ad seminarii participes accipiendos tot conclavia habere possumus quot cupimus. Pretium idem est ac Vaviae.

Attendite:

A lectoribus qui in animo habent seminarium Latinum Doctoris P.C. Eichenseer proximo anno participare instanter petimus ut nos quam celerrime moneant utrum placeat Matritum adire necne. Gratias in antecessum.

ERRATUM

Quidam attentus Melissae lector nos monuit de errore qui infeliciter irreperit in scriptum c.t. "Numquam iterum" fasciculi 67 Melissae. Recte enim scribendum erat "bombas volantes (V1) vel rocheta propulsas (V2)".